


& dioptra ad illud punctum mente notatum dirigatur, indicabunt gradus inter illam semidiametrum, & dioptram prædictum angulum reliquum. Si denique altera illa semidiameter præcisè in C, tendat, angulus C G D, rectus erit. Quia ergo in triangulo G C D, obliquangulo latera nota G C, G D, continent angulum notum G; cognoscetur latus C D, per problema 12. triang. rectil. cap. 3. lib. 1.

*Problematis  
solutio sine  
numeris.*

2. A B S Q V E numeris facile problema soluetur, si fiat angulus G, æqualis ei, qui per Quadrantem obseruatus fuit, & in rectis G C, G D, ex instrumento partium tot particulæ sumantur, quot palmi, aut pedes in distantis G C, G D, inuenti sunt, &c.

LONGITVDINEM lineæ rectæ, quando mensor in vno eius extremo, vel in aliqua altitudine nota, quæ perpendicularis fit in eo extremo ad planum, in quo linea iacet, existens alterum extremum videre potest, per Quadrantem comprehendere.

### P R O B L E M A V I I I.



1. S I T exquirenda longitudo A B, hoc est, distantia inter A, & B, etiam si puncta intermedia siue propter tumores interiectos, siue propter valles, cernine queant, dummodo in extremo A, existens mensor, vel in aliqua altitudine cognita ad planum, in quo linea A B, perpendiculari, ita vt A C, sit vel statura mensoris, vel hasta aliqua erecta, vel turris. Inspecto extremo B, obseruetur angulus C. Et quiaposito sinu toto A C, distantia A B, est Tangens anguli obseruati C: si fiat,

*Vt sinus totus ad A B, tangentem anguli obseruati C, Ita A C, statura mensoris, vel altitudo nota, Ad A B, longitudinem.*

4. Triang. rectil. procreabitur longitudo A B, in partibus altitudinis notæ A C. Quæ per solos sinus etiam producet, si fiat,

*Vt sinus anguli B, complenti anguli C, obseruati Ad A C, staturam mensoris, vel altitudinem notam Ita sinus anguli C, obseruationis ad A B, longitudinem*

*Solutio problematis sine numeris.*

2. S I N E numeris eadem longitudo A B, cognoscetur, vt in præcedentibus dictum est: si videlicet ex instrumento partium accipiatur A C, tot particularum, quot palmi, pedesue in altitudine A C, existunt, constituaturque angulus obseruationis C, ac tandem ad A C, perpendicularis excitetur A B, &c.

LONGITVDINEM, ad cuius extrema accedere non liceat, dummodo ea appareant, & ipsa longitudo producta ad pedes mensoris pertingat, ex altitudine aliqua nota dimictiri;

PRO-